

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCVIII

Premium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80
ubique extra Italianam Libell. 6,25
(Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)
recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem
Commentarii "Vox Urbis" possessorem et administratorem
ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque sive *Vox Urbis* kalendarium, sive tabulam
m. $0,25 \times 0,45$ Pontificiam dominationis
auspicationem referentem a Pio PP. IX anno MDCCXLVI peractam, *ad libitum*
sibi habebit.

Qui socios novos comparaverit duos premiumque eorum subnotationis
miserit, subnotatione sibi gra-
tuita omnino fruetur.

Qui socios novos comparaverit tres — bibliopolis exceptis — ma-
gnificam tabulam dono accipiet
m. $0,63 \times 0,85$ in qua apposita charta manu facta, calcographice impressa, offi-
cina Urbani hospitii S. Michaelis ad Ripam, antiqua gloria insignis, imaginem
retulit Pii X Pont. Max. vultus vigore, oculorum vi lineamentisque iure merito
apud omnes celebratam.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium mensem — bi-
bliopolis pariter exceptis —
dimidiatum premium itineris habebit a quovis Europae loco ubi vivit Romam usque,
atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra, eodem itinere
gratis omnino gaudebit.

Ann. XI. ROMAE, Kal. Decembris MDCCCCVIII Num. XII.



DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 6
ubique extra Italianam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sch. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA - Piazza del Gesù, 48 - ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA
apud
Librairie Gamber

IN ANGLIA
apud
Burns and Oates

IN RUSSIA
Varsaviae Polonorum
apud
Gebethner et Wolf

IN CANADA
apud
Librairie Granger Frères

Paris
Rue Danton.

London W.
28, Orchard Street.

"Kronika Rodzima"
Krakowskie Przedmieście, 6.

Montreal
1200, Rue Notre-Dame.

MAGNI MOMENTI MONITUM

Pontifica officina Candelarum ad Sacra
vapore acta

CONSTANTINI PISONI

ROMAE in ITALIA

Cors Vittorio Emanuele, 127-129 — Via Sediari, 1-2-3

innumerorum eorumque illustrium clientum suorum animadversionem
repetit in *faculas ad noctem* atque ad collu-
strandum, quas iure proprietatis sibi protexit.

In his

Lux — Salubritas — Parsimonia

Mundities — Diuturnitas — Commodum.

Sunt enim forma singulari; a ceteris huiusmodi omnino dif-
ferunt tum ex Italicis tum ex exteris officinis; perfecte com-
buruntur; tempus maximum durant.

**Qui semel expertus fuerit, eas procul dubio,
in posterum semper adhibebit, nunquam relinquet.**

Vitrei caliculi consulto ad usum apparati venumdantur.

Candela ex cera ad sacra - Candela exquisitis ornamentis decorae.

Officina condita est anno MDCCCIII

Diversorium Magnum, cui a Minerva nomen
(Grand Hôtel de la Minerve)

ROMAE - Piazza della Minerva - ROMAE

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro,
recens omnino instauratum - Tercenta cubicula et
magnae aulae - Calefactio - Balnea - Electrica lux
ubique - Machinae duo ad ascendendum - Hiemale
viridarium - Ludi trudiculares - Aulae mulieribus
reservatae.

Sacellum pro sacerdotibus ad sacra litanda.

Leopoldus Scotti, moderator.



Gulielmus Gaudenzi

Romae, Tor Sanguigna, 2-3; Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi cru-
cifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum
omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad
sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros,
omniaque in Puellarum Mariae usum; pulclarum arti-
tum specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et
similia; quorum maximum apparatum possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Prospectum subnotationis *Vox Urbis* Commentarii
in an. MDCCCCIX
videas in pagina 135.

Ann. XI.

ROMAE, Kal. Decembribus MDCCCCVIII.

Num. XII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Sociis et lectoribus Commentarii nostri humanissimis.
Ex Americis. — De Theodoro Roosevelt praesidis munere abscendente.
Quandoque bonus dormitat Homerus...
Paroemiae sive adagia. — Technam in seipsum struere.
Hymni tres in Pontificatum Romanum tartareis ab hostibus
perpetuo sed frustra oppugnatum. — I. Ad Petrum Ap. Ecclesiae
Fundamentum — II. Ad Petrum Ap. Ecclesiae Pastorem —
III. Ad Petrum Ap. Ecclesiae Navarchum.
Pontificii Collegii Pii Latini Americani de Urbe quinquagenaria
solemnia. — De Pontificio Collegio Pio Latino Americano
Romae instituto.
Fastorum series Pontificii Collegii Pii Latini Americani histo-
rice digesta, exornata.

Pius PP. X et Pont. Collegii Pii Latini Americani solennia.
Diarium Vaticanum. — Coram SSmo admissiones. - Pontificiae elec-
tiones. - Vita funeti viri clariores. - Varia.
Annales. — Balkanicae res. - Germanorum dissensiones. - Austrorum
motus. - Sinarum novus imperator.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Aenigmata.

In tertia et quarta operculi pagina: TARCISIUS - Actio dramatica
I. B. FRANCESIA versibus senariis conscripta.

Sociis et lectoribus

Commentarii nostri humanissimis



IATORI montana ardua et aspera condescendi placet interdum in via consistere
tum ut peragratum iter cum animi oblectatione quadam et superata obstacula
retrospiciat, tum ut post brevem requiem, quae defatigatas vires instauret,
spiritum sumat novum ad metam tandem adipiscendam, quae eius oculis longe
adhuc at solis radiis coruscans effulget.

Nos non aliter, qui anni cuiusque vitae Commentarii nostri sub exitum,
quasi totidem viae tractibus expletis, remoramur, hinc exantatos labores, semina
terrae mandata, surculos defractos, signa posita respicientes, inde viriliter nos erigentes
ad propositum assequendum, cui nunquam non tenaciter perstitimus, ut scilicet latinitas
haec, unde humanitas omnis indesinenter et ubique manavit, per orbem universum et
servetur et proferatur, utque ita tandem aliquando latinus sermo, ad omnia exprimenda
aptus et conformatus, commune doctorum saltem virorum eloquium fiat.

Quae quidem ex peracto itinere hodie colligere liceat, ipsi vos, socii et lectores huma-
nissimi, qui nostrae sollicitudini assidua diligentia atque inconcussa fide indesinenter
haesistis, iudicetis. Quasi pavida et nutans, magnis generosisque nominibus unice
suffulta, *Vox Urbis* in lucem abhinc annos undecim prodiit nec progredi fas esse, choro,
fere dicam, ei deficiente, videbatur. Brevi tamen qui stupentes eius ausum prius mira-
bantur, paullatim ad eam accessere, tantoque studio unum et idem cum ea demum facti

sunt, ut, aliis alia causa patronis illis, — quorum memoria a grato nostro animo nuncquam decidet, quippe qui praeceptorum et amoris honestissimam haereditatem nobis reliquerunt, — ab ea seiunctis, ipsi auxerint, confirmaverint sibique sufficientem effecerint. Itaque non unum Urbis augustae matris excellentem sermonem haec *Vox* retulit, sed, quod in optatis conditorum erat, cultum omnem atque humanitatem, eaque omnia ingeminavit, quae inde, veluti ex radiationis centro, animos usque a longissimis orbis partibus amice cum genitricis animo coniungere valerent. Igitur scripta locum in ea habuerunt, quae populos omnes aliquo modo attingerent, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quaestiones, a nunciis et significationibus ad simplices et facili stylo expressas descriptiones, narratiunculas, dramaticas actiones; ab antiquitatis scientia ad dialogos vitae argumenta maxime communia tractantes, unde colloquia latine inire atque alere daretur; a doctorum virorum scriptis nondum vulgatis aut parum cognitis ad primas adolescentum exercitationes, quae incitamentum veluti in palestra eorum conatibus, laude quidem amplissima dignis, conferrent; a Pontificiis denique documentis praecipuis ad iuris regulas in S. Congregationibus inductas; haec omnia ut quisque vel ex dissitis regionibus, vel cultu, doctrina, animi proclivitate, artibus ab altero difformis in *Voce Urbis* aliquo modo completere desideria sua posset.



Talem socii et lectores Commentarium nostrum et voluerunt et reddidere; talem itaque in proximo quoque anno servabimus. At grave aliud addemus, quod pluries a pluribus requisitum, ne immatura tempora cum damno praeverteremus, quamvis desideriorum nostrorum summam constitueret, fieri nobis non posse hucusque iudicavimus.

Meminerint lectores, apud latinitatis coetum nonnullis ante annis Romae congregatum, in quo *Vox nostra*, — per Eum qui iam fere ab initio in commentario nostro redigendo primas agens *Vocem* ipsam moderatur, — ex Capitolio resonans, triumphum primum publice reportavit, votum inter cetera cum plausu nuncupatum esse, ut latinitatis adsertorum et vindicum stabile et certum foedus quodammodo constitueretur. Atqui idem votum communi consensu, imo vero veluti omnium animorum necessitati respondens, ipsis hisce diebus Romae iterum et ultiro erupit per plurimos illos viros, qui in Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum vitae suae annum quinquagesimum celebrans feliciter expletum convenientes, tantum et nominis et civilis et ecclesiasticae gloriae itemque tantum tuendae latinitatis ardorem sollemnibus illis contulerunt. Quid? Dubitaremus ultra? Nobile facinus heu! antea ab iis cui videbatur commissum reapse neglectum, diuque a nobis expetitum numne nunc etiam nostram rem haud faceremus?... En igitur, socii et lectores carissimi, en vobis ulteriorem *Vocis Urbis* gradum in quo insistat apertum; en vobis praestare, ut reliquum hoc viae fauste eidem atque feliciter evadat. Nobiscum vos adstringite, ignis quo flagramus partem vobis sumite, in vestrisque regionibus circulum circa vos constitatis, qui per *Vocis Urbis* commentarii tramitem cum ceteris latina fata communicet, quae contra vanos nostri temporis cuiusque generis conatus sic immutata manebunt.

Huiusmodi incoepui faveat Deus Optimus Maximus, dum nos operam nostram ut assuevimus rei navabimus. Itaque a proximo Ianuario mense, qui anni XII vitae Commentarii nostri afferet initium, **menstrui Vociis Urbis fasciculi singuli paginarum numero adacti prodibunt** ut novis necessitatibus magis respondeant; quum tamen pretium, quamquam pro rerum adiunctis submutatum, tenue quidem ac nemini impervium manebit praemiaque splendidissima pro cuiusque laboribus tribuentur, quae in proximo numero indicabuntur. Non enim — idque satis compertum est — auri sacra fames, sed singularis quaedam summae causae, id est Latinitatis, imago animo et cogitatione concepta nos ad operandum impellit.

Pretium subnotationis Comm. *Vox Urbis* pro integro an. MDCCCCIX erit in Italia libell. 6; ubique extra Italiam libell. 9 (doll. 1.80; sch. 7; march. 7; rubl. 4; coron. 9) **recto tramite** mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii *Vox Urbis* possessorem et administratorem
Romam, piazza del Gesù 48.

Vox Urbis.

Ex Americis

De Theodoro Rooseveltio praesidis munere abscedente

Quum hae litterae ad vos pervenerint, comitia iam certe revelaverint quinam novus Civitatum Foederatarum nostrarum praeses erit Theodoro Rooseveltio successorus. Res profecto gravissimi momenti, si quidem cum ceteris populis reipublicae quem dicunt more rectis, et cum ipsa Gallia, magna de praesidis regimine ac potestate intercedit apud nos differentia. In Gallia enim reipublicae qui praeest nihil nisi speciem auctoritatis gestat, neque civitatis fata reapse gubernat; in Americis contra regia veluti auctoritas tradita Praesuli est ex ipso popularium consensu, qui semper effect ut vir reipublicae praeasset et virtute et mente et doctrina insigni, qui universam igitur gentem foedusque universum non regere et ducere tantum, sed praeire tum senatoribus tum etiam magistratibus posset. Washingtonius, Jackson, Lincoln talium virorum nomina sunt; quibus Theodorum Rooseveltum nunc a munere recentem addere minime dubitamus: haud secus enim ab illis, Theodorus hic quoque Americani nostri Foederis fortunam rexit et moderatus est, atque ad optatos exitus tuto iudicio ac forti voluntate perduxit. Virum igitur intimius perscrutari non inutile hodie erit; neque ardua plane res, neque difficilis, quum ipse verax semper in omnibus et sui ipsius index primus, aequus

et integer, publicaeque commoditatis studiosus semper et in omnibus reperiatur.



Natus est Neo-Eboraci anno MDCCCLVIII veteri ex americano genere, eoque plane ditissimo; Harvard in athenaeo naturalibus disciplinis historiisque primum vacavit, mox iuridicis et oeconomicis in Columbiano. Ea inter vero corporis viribus augendis indesinenter etiam intendit, et equitatu et gymnicis ludis omnis generis: iaculari praecepit igniballista in deliciis semper habuit.

Europam lustravit itinere oculatissimo invisitque Gallos, Germanos et Italos, quorum omnium populorum e cognitione tot illas assumpsit sibi notiones et normas vivendi, quibus deinde prudentissime est obsequutus.

Vigesimum secundum vitae annum agens Alexiam Lee uxorem duxit, ex qua filiam habuit inter filias modo maximam.

Ad suos redux honoribus et muneribus operam dare constituit, atque reipublicanae factionis in manipulis dux valide stipendia meruit. Sermones eius autem et orationes tum sapientia, tum veritate, tum constantia nitebant maxime et cives stupore percerabant.

In historica disciplina versatissimus quoque apparuit, quum librum edidit de navalib[us] bello anno MDCCXII, quod Angli inde, inde Americani pugna-

runt. Quamvis autem in scribendo sua gentis partibus favere nimis visus sit, attamen scribendi vis atque venustas eae habitae sunt, ut hominem litteris apprime imbutum optime ostenderent. Mox ad homorum certamina accessit, eaque plane iniit fortissimo animo et eximia magnanimitate, qua paullatim, pleisque inter obstacula, victoriam obtinuit. Repente vero infortunia gravissima ei contigerunt, et matris obitus et dilectae uxoris; quibus doloribus confectus animo, publicam vitam deseruit atque in ultimas reipublicae terras occidentales recessit, ut, una cum pastoribus atque venatoribus vivens, susceptis animae vulneribus mederetur; tantoque desiderio rudes illos incolas deinde prosequutus est, ut saepe saepius, vel quum supremo magistratu cumulatus patriae fortunam regere cogeretur, ad illos redierit.

Re quidem vera montanas inter planities et silvas quam fortet et robustum animum celaret Theodorus ostendit. Evidem praedas insequi, capere et interficere, venationisque ludi belli persimiles, carissima illi oblectamenta erant et ad confirmandum animum mirum in modum apta. Quae quidem praelia, haud semper incruenta, ac simul pastorum venatorumque mores et vitam, in libro venustissimo enarravit de Occidentalis Nordicae Americae adeptione, ubi americanus vir plane appetet, qui populi sui terram, historiam, gentes omnibus longe melius exploratas habuerit.

Novis initis nuptiis, paullatim ad rempublicam rediit ut tot tantaque in patriae bonum aggrederetur atque perficeret.



Electus enim qui curatoribus de emendanda reipublicae gestione praesesset mirum est quam ingens laborum pondus expleverit, quotque et quanta obstantia superaverit, quae via et quorum castigaverit et deleverit. Tunc inimicos habuit multos eosque acerimos, eos praesertim qui illegitimas cupiditates suas eius decretis cohiberi experiebantur atque praecidi. Neque facile enarrabit quisquam quae perfecerit vir integrimus in emendanda praesertim corruptione quae inter vigiles ipsos publicaque securitatis tutores radicitus invaluerat, ita ut civium bona, libertas, honos omnia fere venalia essent (1). Quibus de causis praesertim apparuit quanti consilii et cuius vis Theodori animus esset, dignus profecto qui summa rerum aliquando potiretur.

Sed de supremis eius magistratibus, ne longiores hodie simus, alias, si placuerit, dicemus.

Neo Eboraci, mense Novembri MCMVIII.

L. W.

(1) Cfr. de re ipsius Rooseveltii scriptum in comm. *Atlantic Monthly*, mense Septembri MDCCLXXXVII ed.

Quandoque bonus dormitat Homerus...

Constat inter litterarum gnares non omnes idem de *Iliadis* et *Odyssae* auctore sentire; alios poemata illa uni auctori, Homero, adscribere, alios ea ex rhapsodiis variorum poetarum in unum apte coniuncta putare. Utraque autem pars certantium tam graves proferre scit rationes, ut sine controversia, utra pars rectius rem diuidicet, definiri nequeat. Id tamen verisimile videtur, carmina illa non integra, non immutata ad nos pervenisse; quaedam in iis passim esse interpolata, interserta, amplificata, id quod antiquorum iam scriptorum commentarii suspicabantur. Utecumque est, *Homerus est*, sive ille unus utriusque celeberrimi poematis auctor, sive is, qui acri subtilique indole pollens pulcherrima de una re aliorum carmina dispersa in unum adeo apte ornatoque coniunxit, ut utrumque opus quasi ab eo uno auctore, qui Homerus appellatur, creatum esse videatur; est igitur, qui « omne tulit punctum », est qui « miscuit utile dulci »; est *Ilias*, est *Odyssaea*.

Hoc tamen manet, quod supra dixi, quaedam non in primitiva forma servata videri; et quis scit, nonne id praecipue Horatio illam extorserit sententiam: « quandoque bonus dormitat Homerus » (*De arte poet.*, 359)? Cur tamen praecipue? Nam, si severe rem totam recognoscamus, incertum est, an in tota carminis utriusque compositione praeter illos dubios locos alia quaedam variis de causis leviter castiganda inveniamus.

Non est mihi propositum rem nunc abundanter disserere pleniusque exhaustire; unum tantum exemplum proferre libet id, quod ad locum inter versum 473 et sequentes rhapsodiae VI^{ae} *Iliadis* pertinet.



Quis neget inter pulchras *Iliadis* rhapsodias illam pulcherrimam esse sextam; qua quid praestantius, quid excelsius, quid magnificentius fingere quis possit? Multos quidem perfectae virtutis viros in *Iliade* admiramus; quis tamen praestat Hectori, quis non inferior aliquam partem? Quis, si iam omittimus excellentem vim atque fortitudinem quae summa virtus illis temporibus habebatur, superior est patriae amore? Quum in ultimo discessu uxor amatissima, quasi interitum eius suamque et infantis orbitatem praesentiens, lacrimosis cum precibus a pugna arce conaretur diceretque (VI, 407):

Δομόνια φθίσει τε τὸ σὸν μένος οὐδὲ ἐλεαίρεις παῖδά τε νηπίαχον καὶ ἔμ' ἄμυνορον, οὐ τάχα χήρη σὺν ἔσομαι. . . .

quid heros ille *sans peur et sans reproche* inter multa et praeclara respondit uxori (VI, 440)?

ἡ καὶ ἐμοὶ τάχε πάντα μέλει, γύναι, ἀλλὰ μαλ' αἰνῶς αἰδέομαι Τρῶας, καὶ Τρωᾶς ἔλκεσι πέπλους ἐπει μάθον ἐμμέναι ἐσθόλος κιει καὶ πρώτοι μετὰ Τρώεσσι μάχεσθαι.

Et discessit ad pugnam, iam mortuus ex ea, non vivus, redditurus.

Sed forsitan quisquam dixerit spem atque fiduciam victoriae viri audaciam et constantiam sustentavisse et acuisse? Ne tum quidem Hectoris praestantia et honestas lucida esset minus; at quanto magis est admiranda, ubi illa quoque dicta ab eo legitimus (VI, 447):

εὗ γάρ ἐγὼ τόδε οἶδα κατὰς φένα καὶ κατὰς θυμόν εσσεται ήμαρ, ὅτ' ἂν ποτ' οὐλόῃ "Ιλιος" ιρή.

Illum periturum praevidebat, nihilominus tamen amoris atque honoris officium constanter explet. Numquid sublimius cogitari fierique potest? Potest; antequam enim abiit, quid fecit Hector? Sed poteritne stylus meus dignis verbis enarrare illud divinum paternum « vale », quod infanti filio dixit, quem discederet?

Quum iam honestissimum consilium suum atque bellicum propositum vir fortissimus armisque splendidissimis exornatus patriae bellator uxori explicisset, infantem ex manibus nutricis adstantis captum multum atque ardenter osculatus manibus amoensime oscillat. O, ineffabilem voluptatem patris amantis! Sed tempus urget; pugna extra moenia fervet. Num absolvit pater gaudium atque voluptatem ita, ut tacitus filiolum carissimum nutrici reddiderit? Minime; deorum enim suorum prius tutelae eum commendans hac, non multum abest, quin dicam, christiana prece caelestibus supplicat (VI, 476):

Ζεῦ ἄλλοι τε θεοί, δότε δῆ καὶ τόνδε γενέσθαι παῖδας ἐμόν, ὡς καὶ ἐγὼ περ, ἀριπρεπέας Τρώεσσιν καὶ ποτέ τις εἴπησι πατέρος δ' ὅγε πολλὸν χρείνων.

Praestantissimus pater ad proelium mortiferum pro patria iturus caelestes orat, ut filius se praestantior fiat. Qua scena tota iam nulla, quae magis animum moveat, fingi potest; nulla, quae rem pulchriorem, diviniorem pictori pingendam, sculptori sculpendum praebat. Et tamen....



Sed sit venia audaciae ignoscatque poeta, si quis opus eius excellentissimum immodeste attingere velit; dicturus enim sum illum suavissimum et venustissimum actum defectu quadam laborare. Qua de causa? Mox viderimus.

Quum Hector tristi cum uxore colloquio finito ad filium se convertisset, ut ex manibus nutricis eum

sumeret, infans thoracem splendentem et cristam galeae nutantem expavescens πρὸς καλπὸν ἐνέζωντο τιθῆντος ἐκλύθη ιάγων. Patrem puerulus exterritus non agnovit. Arriserunt eum amanter ambo paterque materque. Quid tum? Poeta ita canere pergit: Hector reposita in terra galea osculatus est filium amatum oscillavitque manibus. Qui saltus narrationis nimis asper mihi videtur. Quid enim? Inter osculationem oscillationemque et superiore visum parentum nulla coniunctio, nullus transitus fuit? Galea abiecta Hector, prinsquam infantem lacrimantem et ad sinum nutricis se applicantem prehenderet, nulla suavi voce, nullo dulcissimo verbo animum eius confirmavit? Quomodo oscillare quoque eum potuit, quum poeta non addidisset infantem, ubi suaviter eum pater allocutus esset, patrem recognovisse et tum a nutrice ei trāditum esse? Hoc in loco igitur defectum illum narrationis poeticae, de quo supra dixi, invenire mihi videor. Deest enim mea quidem sententia conexus inter versum 473 et sequentem, quae coniunctio deficiens hoc modo forsitan connecti possit:

καὶ τότε παιδί λαβών ἐπει περιέντα προστηῦτα· τέλεον ἐμόν, τί ροβεῖς ιάγων γονέας φίλον αὖτας; ἄλλοι θεοὶ μὴ τάρβει, ἵπο χρυτός τάνδε πεπληκα πεπονιφιν κάρυθι, ἣν ταρβεῖς καὶ μ' οὐκ ενόσος;

Si quid huiusce modi aut simile post versum 473 καὶ τὴν μὲν κατέθηκεν ἐνι γλοσσι παραγνώσκειν insertum esset, tunc iam ad versum sequentem τύττηρον ὃν φίλον οὐσιον ἐπει κύσε πῆλε τε γερον transitus logicus non desideraretur.

Hic igitur unus ex locis mihi esse videtur, ad quos Horatianum illud: « Quandoque bonus dormitat Homerus » pertinere potest.

Varsaviae Polonorum.

JOSEPHUS WABNER.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Technam in seipsum struere.

Affine illis: « Incidere in foveam a se factam » et « Suo ipsius laqueo capi » adagium hoo alter expressit Lucianus verbis quae latine sonant: « Itaque commentum in tuum ipsius exitium reperisti ». De haeredipeta dixit, qui quum divitem ex asse haeredem scriptisset ac testamentum protulisset, quo divitem ad idem faciendum provocaret, tecti ruina subito oppressus est ac sua reliquit illi, eius facultatibus inhiarat. — Utendum erit quum dolus, in alterum excoxitatus, in caput auctoris cecidit, ut non raro accidere consuevit.

HYMNI TRES
IN PONTIFICATUM ROMANUM
TARTAREIS AB HOSTIBUS
PERPETUO SED FRUSTRA OPPUGNATUM⁽¹⁾

I.

Ad Petrum Ap. Ecclesiae Fundamentum.

Petrus es, duroque Nili
stas basalte firmior;
munus implex, haud movendi,
saxe fundaminis,
Christus in quo, dux ad astra,
iussit Arcem surgere,
miles unde regna caeli
christianus scandere.⁽²⁾

Alma Rupes, quot procellas
movit in te Tartarus!
Nata vix, iras cruentas
experiris Caesarum;
schisma mox et multiformes
invalescunt haereses,
quae tuis repente castris
proditores inserunt.

Bella nec deferueret
saeculis labentibus;
hostis arcem Vaticanam
cingit usque densior.
Christus at te (nec pavemus)
Petre, petram condidit,
Inferum quam nulla possit
vis dolusve frangere.⁽³⁾

II.

Ad Petrum Ap. Ecclesiae Pastorem.

Pastor es regisque, Petre,⁽⁴⁾
septa Christi mystica.
Quos suo Redemptor agnos
sospitavit sanguine,
hos tibi, caelo sub omni,
temperando creditit,
ac salubri nutriendos
veritatis pabulo.

Cursitans ovile circum,
rugit ater Cerberus;
rugit et, leonis instar,
appetit quos devoret;⁽¹⁾
saepe vulpinas et artes
adiicit ferociae;
aut, colubri more, repens
ac silens allabatur.

Vis tamen nec ulla vincet,
Petre, te fallacia;
fide Christo, qui refregit
Tartari potentiam;
qui tibi, dum saecula current
praelitis obnoxia,
se spopondit e supernis
ad futurum sedibus.⁽²⁾

III.

Ad Petrum Ap. Ecclesiae Navarchum.

Duc in altum,⁽³⁾ Christus inquit,
Petre, Navim providam,
quam paravi matris Hevae
naufragis nepotibus.
Duc receptos aestuosa
inter undas temporum,
vita donec sempiterna
ter beatos munaret.

Senties ira frementem,
Ductor alme, Tartarum.
Ille te tuosque saevis
verberabit fluctibus;
turbines ciebit atros,
igne sectos fulgurum;
monstra gignet dira visu,
cladum praenuntia.

His tamen ne terreare,
Petre, tempestatibus.
Filius, Patrem rogavi
ne Fides te falleret.⁽⁴⁾
Dic, tumens si mugit unda:
“Christe Soter, advola!”⁽⁵⁾
Advolabo, turbidoque
pax redibit aequori.⁽⁶⁾

FRANC. XAV. REUSS.

(1) Bonearensis coetus ad Pii PP. X Sacerdotale Iubilaeum celebrandum certamen per orbem indixerat ut carmen certis legibus latine conderetur, quod exinde, musicis redditum, hymnus Romanus Pontificatus evaderet. Quamquam res — quibus de causis indagare nostrum non est — nobilibus optatis non respondit, siquidem Romanorum indicium collegium praemium nemini attribuit, tres tamen ex competitoribus peculiari laude honestati sunt, inter quos Franciscus Xavierius Reuss nositer scriptis carminibus, quae honori ducimus hec referre.

(2) Tu es Petrus, et super hanc petram aedificebo Ecclesiam meam. (MATTH., XVI, 18).

(3) Et portae inferi non praevalebunt adversus eam. (MATTH., XVI, 18).

(4) Pasce agnos meos...; pasce oves meas. (IOAN. XXI, 16, 17).

(1) Diabolus, tamquam leo rugiens, circuit, quaerens quem devoret. (I. PETR. V, 8).

(2) Ecce ego vobis sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi. (MATTH. XXVIII, 20).

(3) Dic in altum et laxate retina. (LUC. V, 3).

(4) Simon, Simon... ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. (LUC. XXII, 31, 32).

(5) Domine, salva nos, perimus. (MATTH. VIII, 25).

(6) Imperavit vestis et mari, et facta est tranquillitas magna. (MATTH. VIII, 27).

PONTIFICII COLLEGII PII LATINI AMERICANI DE URBE
QUINQUAGENARIA SOLLEMNIA

DE PONTIFICIO COLLEGIO PIO LATINO AMERICANO
ROMAE INSTITUTO

Pontificii Collegii Pii Latini Americani, quod his diebus ob quinquagesimum sue vitae annum inter domesticos parientes festum latinitatis vidit haud facile adstantibus memoria delendum, ea fuit condendi occasio et mens. Iosephus Ignatius Eyzaguirrius, Chilensis sacerdos, divinae gloriae cumprimitus studiosus, in id iamdudum venerat consilii, ut sanctissimae religioni in australi America tuendae propagandaeque peropportuna ratio exquireretur: haec illi apud animum suum assidue agitanti opportunius nihil succurrit, quam si selecti ex iis regionibus adolescentes Romanam submitterentur, ad solidam ibi pietatem doctrinamque informandi, qui deinceps Americam repeterent, ut sacerdotalibus apud populares suos munis sancte perfungerentur. Romanam confestim advolat, ut cum Pio IX P. M. de re tanti momenti coram communicet, ab eoque omnem agendi viam atque rationem edoceatur. Mirum dictu est quanta hominem benevolentia excepit Pontifex, quantaque in eam sententiam assensione concesserit. Dantur Eyzaguirrio litterae, quibus australis Americae praesules impense rogantur, uti et pecunia, et omni alio praesidiorum genere tanto operi inchoando perficiendoque manum admovere minime cunctentur.

Itaque Eyzaguirrius longo arduoq; itineri sese rursum committit, feliciter in Americam revertitur, plures adit episcopos, strenue cum illis de Collegio in Urbe condendo agit; qui plerique omnes ad eius consilium perquam libenter accedunt. Quum non multo post quindecim ex America adolescentes Romanam eodem duce advenissent, Collegio initium factum est xi kal. Decembris a. MDCCCCLVIII, quae dies sacra recurrit Virgini Mariae in templum a parentibus ad-

ductae. Nimurum placuit in caelestis Patronae et apostolorum Regiae tutelam iuvenes tradere ad apostolicam vitam instituendos. Ac primo quidem collocauti adolescentes, novi Collegii semina, in aedibus patrum clericorum regularium, quos Theatinos vocant, ad S. Andreae de Valle; traditi tamen statim ab initio in disciplinam et institutionem patrum e Societate Iesu. Aucto dein eorumdem numero, coempta est a patribus Dominicanis domus in foro Minervae, eoque deducti mense Octobri anni MDCCCLXI. Quia vero haec ipsa domus, ob crescentem in dies ex America advenientium numerum, angustior facta est et incommoda ad domesticas exercitationes, mense Maio a. MDCCCLXVII translatum est Collegium in aedes tyrocinii Societatis Iesu ad S. Andreae in colle Quirinali, ibique per annos continenter viginti constitut; donec propriam sibi ac stabili

mansionem e solo erexit, in quam, ad prata Castrensis, uti vocant, prope oras Tiberis positam, mense Novembri ineunte anni MDCCCLXXXVII invenatum fuit.



Etenim in id semper intenderunt animum Collegii moderatores, ut confluentibus hue ex America iuvenibus eiusmodi pararent domicilium, quod et amplitudine sua bene multis complectetur alumnos, et sua commoditate eorum bono ac saluti prospiceret. Iamvero utramque novae domui perbelle congruere facile intelliges, ubi illam attente conspiceris. Et ad amplitudinem quod attinet, iuvat profecto, animosque mirifice oblectat molem hanc aedificii contemplari, quae ceteras inter aedes vicinitatis una maxime eminent et emergit, quippe quae sexagenis metris in latitudinem se extendit, in longitudinem nonagenis. Magnifica domus fronti, quae tribus constat ad incolendum ordinibus, magnificus respondet introitus; tribus illis externis ordinibus triplex interius ad-



Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum, Romae.

ctitur contignatio; quarum duo superiores diaetis et uno ambulacro, qua domus longitudo pertinet, continentur; inferior vero praeter cubicula, quibus tota instruitur, ambulacro longissimo per totam palatii aream circumeundo percurritur.

Iamvero, ut ceteras omittamus, sistere iuvat in illa parte aedium, quae facile praestare deprehenditur, totaque continetur duabus aulis iisque maximis, quarum una inferior subest, altera superior eminet. Prior illa, quae obvia patet domum introeuntibus, in elegantis theatri formam assurgit, in eaque non solum ludi scenici, verum etiam academiae, festivae recreations, et alii quovis nomine conventus fieri solent: et habet spatioum podium, totum caveae ambitum suo ductu circumiens, unde praestantissimi viri spectaculis adstare possint. Altera vero, cuius aditus scandentibus patet contra aditum secundae contignationis, in sacelli domestici usum composita fuit, quo sacramentum Eucharistiae servaretur, saeisque ritus iuxta Collegii morem celebrarentur.

Tota sacelli aedes tribus navibus constat, quarum maior in medio posita et in altitudinem assurgens, concamerata testudine cooperitur. Terni utrinque arcus muris columnaribus suffulti eam a minoribus seiungunt navibus, quae licet prope nullo decorentur ornatu, ambae tamen tribus altaribus instructae sunt pro re divina. Maioris, cuius modo mentio fuit, initium navis est absis, cuius in medio constitutum eminet altare princeps, quod toti prope sacello dominari dixeris: siquidem eximium illud est opus ex metallo et pretiosis lapidibus elaboratum, in quo valor ipse cum arte videtur propemodum decertare. Huic altari maximo desuper imminet speciosa Beatae Virginis icon, in apto loculo ad instar aediculae inclusa; quae depictio sipario adoperta officiis celebrandis ad libitum aperitur. Haec quidem est elementaria forma sacelli, pulchra illa quidem et in se valde praestans, sed oppido praesentior et pulchrior, si imagines affabre pictae et plura quibus emicat ornamenta pree oculis habeantur; quae omnia ad unum consilium facile prospicitur fuisse accommodata, Deiparae Virginis immaculatum spectare Concepimus, cui parvum templum hoc est dicatum.



Collegium, a Summis Pontificibus Pio IX et Leone XIII privilegiis aliisque donis cumulatum et a Pio X «Pontifici» titulo auctum, optime sane de humano genere atque Dei Ecclesia meruit; si quidem inter annos quinquaginta Purpuratus Pater unus, Ioachim Arcoverde de Albuquerque Cavalcanti, Archiepiscopi decem, Episcopi undeviginti, Sacerdotes trecenti septuaginta et octo, Doctores trecenti octuaginta duo, academicis gradibus decorati du-

centi et duodecim exiere; omnes autem octingenti atque triginta septem alumni, qui eiusdem hospites fuere, tam arcto amoris vinculo ei devicti permaneserunt, ut nonnulli etiam stabilem pecuniam semel largiti futurorum quorundam ex variis dioecesum Americanae Latinae alumnorum optimae educationi consulerint. Eorum nomina in lapide insculpta leguntur his adamassim diebus posito, iuvatque hos collegii patronos revelare. Sunt equidem:

Emmanuel Do Monte (an. MDCCLXIII),
Clemens Munguia (an. MDCCCLXIX),
Antonius Pelagi Labastida (an. MDCCLXXV,
MDCCC LXXXV, MDCCCLXXXIX).
Aloisius Bruschetti (an. MDCCLXXXII),
Raphael Nunez (an. MDCCCLXXXVII),
Placidus Labarca (an. MDCCLXXXV),
Ignatius Montes De Oca (an. MDCCLXVI),
Aloisius Izquierdo (an. MDCCLXXXVIII),
Marianus Antonius Espinosa id.
Ioannes Nep. Terrero id.
Franciscus Orozco id.



Neque finem dicendi faciamus quin textum lapidis alterius in memoriam quinquageneriae solemnitatis pariter positi referamus, qui ita se habet:

OB ANNUM QUINQUAGESIMUM
A COLLEGIO HOC CONDITO
FAUSTISSIME EXSOLUTUM
AD MEMORIAM TANTI OPERIS
ET GRATISSIMI ANIMI
ERGA RECTORES ET EDUCATORES SUOS
VETERES RECENTESQUE ALUMNI
PONI CURARUNT
A. D. MCMVIII.

~~~~~  
FASTORUM SERIES  
PONTIFICII COLLEGII PII LATINI AMERICANI  
HISTORICE DIGESTA, EXORNATA

xi Kal. Decembri h. a. MDCCLXVIII, quo die abhinc annos quinquaginta Pontificium Collegium Pium pro tironibus Americae Latinae Iosephus Ignatius Eyzaguirre in Urbe aperuit, inter alia sollemnia, quibus et Eimi Purpurati Patres Iosephus Calasanctius Vives y Tuto et Ioachim Arcoverde de Albuquerque Cavalcanti, pluresque Americani episcopi, civitatum administris, advenae atque cives Romani participarunt, sub vespere, conventus in collegii aula maxima opportune habitus est, in quo series fastorum collegii eiusdem historice digesta, exornata, inter musices

cantus cum omnium adstantium plausu exposita est. Cuius rei mens item atque ordo ex aditiali oratione apprime patet r. v. Benigni Esquivel, quam latine scriptam atque egregie dictam libenter referimus.

Fuit igitur prouti sequitur:

Sapientissimam illam Providentiam, qua Deus Optimus Maximus hanc rerum universitatem moderatur, — Eminentissime Princeps, Antistes ornatus, Auditores, quotquot adestis, humanissimi, — Sapientissimam Providentiam illam, dico, ad tempora ipsa extendi, esseque dies, ea sic disponente, aliis alias laetiores, non solum veterum sapientum placitis innuitur, sed librorum etiam sacrorum auctoritate, quae summa est, invincibiliter confirmatur. Ipsa igitur Providentiae magnam animi voluntatem, qua in festivo hoc conventu agendo fruimur, acceptam referamus. Est enim faustissimus hic annus, est et hodierna sollemnitas iucundissima omnibus quotquot hic velut circa domesticos lares, in unius eiusdemque familiae gremio, arctissimis caritatis vinculis coniuncti reperimur. Cuius rei multiplicem rationem quae simul in causa fuit quamobrem hodiernam sollemnitas instituendam cogitaverimus, paucis accipite.

Et primum quidem quinquagesimus ex eodem, quo nostri omnium collegii fundamenta posita sunt, clauditur annus. Quo temporis spatio, quam varias vices subire, quam duros labores exantlare, quam ingentes difficultatum montes superare oportuit! Sed etiam, Deo favente, quam uberes, quam opimos fructus percipere concessum est! Adsumus igitur omnes intra nostri collegii parietes tamquam filii observantissimi circa venerandum parentem nostris lauris carissimum caput coronaturi, et longos prosperrimosque annos auspiciaturi.

Et haec prima esto hodiernae sollemnitatis auctantiae laetitiae ratio: secunda nihil minor accedat.

Coniicite, quaequo, oculos in Vaticanas arcas. Cernitis supremum illum Antistitem, dignum Christi Servatoris ad humanum genus legatum, qui divina caritate exardescens, omnia instaurare in Christo contendit, qui solis instar errorum caliginem discutit, et corda hominum, impietatis gelu concreta, incendere conatur? Cernitis, inquam, Pontificem SS., patrem amantissimum Pium X? Abhinc annos quinquaginta sacras ille primum aras ascendit Hostiam immaculatam recens consecratis manibus Deo oblaturus; Deo, cuius auspiciis ductus ad supremos honoris gradus consensurus erat. Age vero sic habetote. Quis miles triumpho imperatoris non triun-

phet? Quis nauta navarchi sapientissimi laetitia non gestiat? Quis filius Patris carissimi honoribus non effatur? Et nos milites sumus maximi illius Imperatoris; nos nautae remigesque sapientissimi illius Navarchi; nos filii illius amantissimi Patris, quem infinitus catholicorum populus suscipit, veneratur, totis praecordiis diligit.

Ergo si totus uno impetu terrarum orbis consurgit, si undique Romam quotquot sunt Christi fideles vel



Sacellum Pont. Collegii Pii Latini Americani, Romae.

passibus, si licuerit, vel certe mente et amore concurrunt, ut Patri amantissimo gratulentur, nos taciti permanebimus? Minime gentium; sed quod licet praestabimus, et Pii X festum festo Collegii nostri sociabimus: collegii nostri, inquam, ab alio sanctae memoriae Pio conditi, ab alio firmissimo auctoritatis supremae robore in perpetuum constabili.

Neque haec satis. Magnum nobis gaudium Collegii festum per se afferit; maius si cum festo communis omnium Patris consociatur; sed maximum, si tuum accedat, o Deipara Immaculata. Tum nescio quid virginem, nescio quid caeleste, nescio quid divinum hodierna sollemnitas spirabunt, quem Te, quem ab omni avitae labi macula exsortem, Collegium nostrum Patronam sibi potentissimam elegit, gaudii

nostri participem et auctricem habebimus. Et profecto habemus. Nostis enim, auditores lectissimi, quo pacto ante hosce quinquaginta annos in excavata Pyrenaeorum rupe, sese innocentissimae puellae conspiciendam praebuerit; nostis etiam quid deinde consequutum sit. Verissime enim dici potest, nullum esse orbis angulum tam ab omni cultorum hominum commercio segregatum, ubi nunc *Virgo* quam vocant a *Lapurdo* non cognoscatur, non invocetur, non divinis muneribus suos cultores liberalissime impariatur.

Nihil igitur mirum si quinquagesimo vertente anno totum videmus terrarum orbem magni illius eventus memoria commoveri; nil mirum si nos etiam illum hodierna die commemorare intendimus.

Ideo, auditores spectatissimi, accedent mox ad dicendum aliquot ex clarissimis antiquis alumnis, qui de triplici hoc arguento disserant: et primus quidem hispanica, alter lusitana lingua, utpote alumnorum vernaculis; tertius denique itala, quae propria est almae huius Urbis, in qua, velut in communia patria, versamur. Iam ad maiorem et argumenti varietatem et audientium voluptatem, optimum factu credidimus, artem photographicam in oratorum auxilium vocari. Ideo opportunis per electridis lucem in tela expressis imaginibus, quae dicentur illustrabimus: sic fiet ut quae olim vidistis, quorum memoriam etiam delectamini, ea velut instaurata vobis ante oculos subiiciantur.

Hisce positis, nihil aliud iam mihi restat antequam finem dicendi facio, nisi ut et moderatorum collegii et singulorum incolarum nomine omnibus quotquot adestis, sed vobis in primis, Eminentissime Princeps, et ornatissimi Antistites, gratias maximas agam pro summa ea benignitate, qua domesticum hoc festum, quodcumque id erit, vestra praesentia honestare voluistis. Hoc dum facio, dum vos praesentes intueor, tum etiam pro certo habeo fore ut hodierna sollemnia non incassum facta fuisse videantur. Versantur enim ob oculos splendida illa virtutum omnium exempla, quibus et Collegio huic, et Americae nostrae, et Ecclesiae universae ornamento estis. Quibus attente consideratis, omnes profecto qui nunc in eadem palestra, in qua instituti exercitatique fuistis, versamur, stimulos nobis addi sentiemus, ut vestris vestigiis insistere, vestra exempla sequi conemur. Sic fiet ut quum tandem curriculo emenso, sacerdotium capessamus, ad ea bella, in quibus vos estis, pro Romanea Sedis defensione atque honore, pro Deiparae SS. cultu atque amore, pro Dei O. M. servitio et gloria, vestro imperio ductaque fortiter gerenda, in campum prodeamus.

BENIGNUS ESQUIVEL

Pont. Coll. Pii Latin Americani alumnus  
ex Mexico.

### PIUS PP. X

ET PONT. COLLEGII PII LATINI AMERICANI SOLLEMNIA

DILECTO FILIO AUGUSTO M. ANZUINI E S. I.

PONTIFICI COLLEGII PII LATINI AMERICANI MODERATORI

### PIUS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. Dena feliciter lustra urbano Americae Australis Collegio hoc anno implenda officiosae docuere litterae, quae tu nuper ad Nos dedisti. Quo equidem ex facto et te sodalesque tuos laetitia perfundi necesse est, et Nos Decessoribus Nostris Nobisque magnopere gaudemus, qui Institutum egregium perpetuis fovi mus curis ac beneficiis cumulavimus. Enimvero, si exacta respicimus tempora, non exigua suppetit gratulationum caussa ob utilitates quas ubique per Australem Americam ex Collegio isto Relligio est assequuta. Nam ut sileamus cetera, qui sacerdotio sint aucti, istic ad centena plura sunt instituti: ex quibus, cum gravissima, alii alia, munera sustineant; tum multi ipsi gerendo episcopatu non impares sunt habitu. Quare dum Collegio atque universis qui inibi sunt alti amantissime gratulamur; imo ex animo concipimus votum ut felicibus cooptis feliciora in dies addantur. Id profecto non dubitamus pro parte moderatorum, quos Nos perpetuo Collegio regundo praefecimus, quosque de exantatis laboribus palam laudasse libet. Non dubitamus item si Americae Australis quotquot saerorum sunt Antistites, quam hoc usque Collegio benevolentiam navarunt, et navent porro et adaugeant. Nos equidem optamus maxime ut adolescentes in eo instituendi frequentiores comment; magna enim ubique sacerdotum optimorum necessitas est. Ad hoc vero nil iuverit magis quam ut Episcopi, itemque fideles tam e clero quam e laicis opulentiores, institutis, quas vulgo vocant *becas*, conferant sumptus, quibus delecti iuvenes in spem ecclesiae gratis edificantur. Nulla plane praestantior, nulla hac utilior ratio ad quinquagesimum Collegii natalem cum fructu commemorandum. Nos vero Institutum egregie meritum paterna semper sollicitudine prosequemur. Inter ea ut vigeat floreat a Deo precamur: illud etiam ominantes ex animo ut, quod dudum in votis est, piorum largitionibus ad Collegii aedes Templum accedat Mariae sanctae opiferae de Guadalupe dicatum; quod et in publicam quidem fidelium utilitatem cedet, et Americae Australis dignitati addet, quippe quae suum, ut nationes ceterae pleraque omnes, templum in Urbe proprium habebit. Testem benevolentiae Nostrae et gratiarum divinarum auspicem, tibi, Dilecte Fili, sodalibus tuis, alumnis Collegii uni-

versis, tum qui modo sunt tum qui fuere, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxiii mens. Martii anno MCMVIII, Pontificatus Nostris quinto.

### PIUS PP. X.

### DIARIUM VATICANUM

(Die xxi mens. Octobr. - d. xx mens. Novembr. MDCCLXXXVIII)

#### Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros qui sui quisque munera gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Pius Mayer, Prior Generalis Carmelitarum antiquae observantiae confirmatus, cum consilio Ordinis sui; O' Riordan doctor, Hibernorum collegii de Urbe rector; Henricus Sibilia, archiepiscopus tit. Siden, Internuntius Apostolicus apud Chilensem civitatem electus; Antoninus Salviati, Dux; Franciscus M. Iordan, Fundator et Rector generalis Soc. Divini Servatoris cum consilio Congregationis suea; Hispanorum legatus apud Apostolicam Sedem dona sacrarum supellectilium offerens a Victoria Eugenia Hispanorum regina, Christina, regina vidua, alias regalis illius populi matronis missa; Ildebrandus De Hemptinne, O. S. B. Abbas primus; P. Pacificus a Seggiano, Administer generalis Ord. Min. S. Francisci Capulatorum, doctores atque tirones novi collegii Seraphici Urbani coram adducens; De Witte, Comes, a Secreti Status Russorum Caesaris atque Imperialis Concilii particeps; De Leiningen, Comes; Sacer Purpuratorum Senator; legatio a Russorum Caesare missa, praeside Sergio Sazonow, ut ipsius omnia et litteras ob Sacerdotale Iubilaeum afferret.

Aliae insuper extraordinariae legationes coram admissae sunt, quarum principes fuerunt prout sequitur: Carolus Schwarzenberg pro Austrorum imperatore; Clemens de Schorlemer pro Germanorum Caesare; Franciscus Asisiensis De la Conquista pro Hispanorum rege; Antonius Ayres de Gouvea Osorio, archiepiscopus tit. Calcedon, pro rege Lusitanorum; Ionkheer Van de Poll pro Bataviae regina; Ioannes de Hoenloe-Bartenstein et Iagstberg pro Bavariae principe; Joachim de Schönbürg pro Saxonum rege; Comes de Smet de Naeyer pro rege Belgarum; Ulpianus De Venezuela pro Columbianae civitate; Raphael Errázuriz Urmenate pro Chilensi republica; Iulius De Wagner pro Monachensi principatu; Ioannes M. De Goyeneche pro Peruviana republica; Albertus Blancas pro Argentina; Bruno Cháves pro Brasiliensi; Ioannes Ant. Duenos canonicus pro civitate S. Salvatoris.

Denique ad Pontificem peregre advenierunt omnia et stipe ob eius sacerdotiale iubilaeum offerentes:

Mense Octobri exente Cosentinorum civium legatio ab archiepiscopo suo Camillo Sorgente coram adducta; Senensis pariter legatio; cives e dioecesis Utinensi, Mediolanensi, Parmensi, Tiburtina; Londinium coetuum catholicorum legationes; Anglii et Hibernici catholici cives; cives Colonienses, Trevires, Monasterienses, Paderbornenses ab episcopis suis coram adducti.

Mense Novembri: Episcopatus et Cleri Armeni legatio; Cives ex Italiae Marsica; cives Columbiani, Argentini, Poloni; cives ex dioecesis Tarvisina, Mantuana, Cremensi,

Cremensi, denique ex Aemiliana regione ab excmo archiepiscopo Bononiensi coram adducti.

#### Pontificiae electiones.

Iudices ad Religiosorum Congregationem deputantur: Albertus Battandier, Benedictus Melata, Ianuarinus Bucceroni S. I., Claudius Benedetti C. SS. Redempt., Ildebrandus De Hemptinne O. S. B., Patritius Panadero O. F. M., Thomas Esser O. P., Pius de Langogne O. F. M. Capulatorum, Maurus Serafini O. S. B. Casinensis, primae observ., Ladislaus Marszalkiewicz C. Resurrect., Ioannes Mareno C. Sales, Thomas M. Rodriguez O. Erem. S. Aug., Pius a S. Joseph O. Karm. excalc., Petrus Bastien O. S. B., Josephus Kauffmann O. F. M.

— R. p. Pius Thomas Boggiani O. P. episcopus Adrien. creatur.

— R. v. Alexander Solari «auditoris» officio ad Hispanicum Nuntium Apostolicum mittitur. Ei apud Belgarum Nuntium succedit r. v. Dominicus Gualtieri, Monachio translatus.

#### Vita functi viri clariores.

Die xxvi mens. Octobris, Londini, quam urbem ut Eucharistico conventui adesset petiverat, Purpuratus Pater **Franciscus Desideratus Mathieu**, Gallici episcopatus et literarum decus. Ortum duxerat in oppido Einville dioecesis Nanceyan. et Tullen. die xxviii mens. Maii MDCCLXXXIX et a Leone PP. XIII in Sacrum Senatum cooptatus fuerat d. xix mens. Iunii MDCCLXIC tit. S. Sabinae.

— d. xxvii Barcinone, cui dioecesi erat praepositus, Purpuratus Pater **Salvator Casanas y Pagés**, Barcinone natus d. v mens. Septembr. MDCCLXXXIV; episcopus tit. Ceramen. electus d. xxv mens. Februarii MDCCLXXIX; translatus ad sedem Urgellen. d. xxii mens. Septembr. eiusdem anni, indeque ad Barcinonen. d. xviii mens. Aprilis MDCCLCI; in Sacrum Senatum cooptatus d. xxix mens. Novembr. MDCCLXCV, tit. SS. Quirici et Iulitiae; vir scientia et pietate insignis.

#### Varia.

Die xvi mens. Novembris in Vaticana basilica Pontifex sacra sollemniter litat gratias acturus ob quinquagesimum annum expletum ab inito Sacerdotio.

### ANNALES

#### Balkanicae res.

Balkanica quaestio nihil novi atque gravis hoc mense attulit. Belli enim imminentis periculo quovis amoto, et accepto ubique «internationalis coetus» ad rerum statum moderandum consilio, itinera vim dimus praestantissimorum ex gentibus, cuia res maxime interest, virorum sive ad causam populi sui perorandam, sive ad fata quadammodo praevertenda. Itaque Dimitroffius pro Bulgaris Constantiopolim tenuit, Milovanovicus pro Serbis Berolinum, quo etiam Iswolskius, Russorum administer maximus, cum Buelovio colloquuturus convenit; dum interim Nigri Montis legati hue illuc discurrunt de augendis principatus finibus postulantes. Verum si difficile admo-

dum non videtur formulam quamdam invenire, qua Bosniacae et Chulmiensis provinciae adnexio rata habeatur atque confirmetur, neque Austri neque Turcae Montis Nigri optatis unquam assentientur, ad vim vi opponendam parati. Itaque ominandum est, non aliter ac Serborum, huius quoque populi ardor fore ut mitigetur, utque in pace, cuius maxime opus habent, Turcae serventur, qui in diribitoris exterarum gentium a civitate sua abolendis petitiones suas hucusque continuere.



#### *Germanorum dissensiones.*

Superiore mense Octobri exeunte, Anglus commentarius *Daily Telegraph* nonnulla privata colloquia vulgavit a Guilelmo, Germanorum Caesare, cum quibusdam Anglis viris in civitate sua pollutibus habita, in quibus Caesar mentem suam et Germanici gubernii certis temporibus, non quidem Anglis faventibus, minime hostilem istis fuisse demonstrabat, indequ inexplicabilem, imo iniuriosam multorum Anglorum rationem sibi videri, quum ipse non fidus Angliae amicus ostenderetur. Impossible dictu est quantum ex hisce scriptis garritum sit tum in Anglia, tum praecipue in Germania, ubi eo deuentum est, ut quum Buelovius accusatus ab ipso Caesare fuerit quod scripta illa priusquam ederentur reviserit, — (re quidem vera Germanicus Cancellarius nihil obstare scriptis declaraverat, quum tamen verba non legisset, quae secretario cuidam suo perpendenda commiserat) — In Hungaria ab Andrassy administro rogatio legis de reformandis comitiis oblate.

In Perside publici coetus sessions primum dilatae; mox regali decreto ad singularem regis potestatem iterum deuentum.

In Russia populares legati labores resumpsere, sibique praesidem iterum Komiakowium elegere. A Stolypinio administro prospectu generali legum renderandis oblato, agraria quaestio disceptari coepit.



#### *Austrorum motus.*

Graviores vero contentiones in Austrorum imperio habitae sunt inter Theutones et Czecos, ita ut de civitatibus aliquot obsidionis regimine gubernandis praedicatum sit. Mirabilis tamen inter haec concors omnium civium animus circa quaestiones ad Balkanica iura sibi vindicanda spectantes.



#### *Sinarum novus imperator.*

Pekini intra dies duos vita intercidit tum Kuang-Si imperatoris, tum eius aviae Tsuh-Si, quae, imperatricis viduae cognomine, revera Sinas rigide quidem moderabatur. Regnum defuncti Imperatoris nepoti euidam quinque annos nato sub tutela Chuan principis delatum est.

Ex duplice hac morte ne qua sedatio aut tumultus exorirentur plures timebant; sed nihil huiuscmodi usquedum scribimus evenit; quin imo sperare licet fore ut publica quies minime perturbetur.

### PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In Anglia Asquith, administer primus, de pluribus civibus manuum laboris intermissionem patientibus late disseruit, reique remedia proposuit.

In Austria administrator collegio, cui Beck praeciprat, a munere recedente, Richardo Bienerth novum constituendi munus commissum, qui collegas suos ex gubernii accensis delegit.

In Borussia coetus sessions regali oratione resumptae, pecuniae comparationem pro civitate instanter repetente. Deinde rogatio legis de augendis reipublicae accensis mercedibus in disceptationem ad ducta.

In Gallia ob fiduciam Thomson, navalis rei administratio, negatam, hic officio se abdicavit. Legis de redditum vectigali examen continuatum, deque capitis poena abolenda incepit.

In Hungaria ab Andrassy administro rogatio legis de reformandis comitiis oblate.

In Perside publici coetus sessions primum dilatae; mox regali decreto ad singularem regis potestatem iterum deuentum.

In Russia populares legati labores resumpsere, sibique praesidem iterum Komiakowium elegere. A Stolypinio administro prospectu generali legum renderandis oblato, agraria quaestio disceptari coepit.

### PER ORBEM

Die xxii mens. Octobris MDCCLVIII Berolini, Augustus Guilelmus, Guilelmi II Germanorum Imperatoris quarto genitus, uxorem dicit Alexandram Victoriam e Schleswig-Holstein genere principem foeminam.

— d. XXIII Bruxellis, incendium vehementissimum telegraphicae officinae magna damna apportat.

Friedrichafen in oppido nova Zeppelinii ducis aëronavis iter primum prospere aggreditur.

— d. XXIV Faentiae, Italica in urbe, Nicolai Torricelli, physici illius celeberrimi, centenaria commemoratione sollempni ritu peragitur.

— d. XXVI Augustae Taurinorum, placide obit Iosephus Biancheri, publicorum legatorum legibus

ferendis Nestor, ipsorumque legatorum coetus diutius praeses.

— d. XXVIII Caesaraugustae, Hispanorum rege atque regina adstantibus, illius urbis strenuis defensoribus monumentum ponitur.

— d. XXX Londini, foedus inter Angliam et Germaniam icitur ad morbum, cui « a somno » nomen in orientali Africa debellandum.

— d. XXXI aëronavis ab Italis militibus et inventa et secreto fabricata a Sabatini lacus oris Romam usque, atque inde Sabatiam optime ac faciliter procedit.

— d. II mens. Novembri Tergeste, septuaginta et quatuor annos natus vita fungitur Titus Agnani, dilutorum colorum artifex insignis.

— d. III Berolini, mortem sibi misere consciscit Harro Magnussen, sculptor inter primores celebratus.

— d. IV Guilelmus Taft Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis praeses renunciat.

— d. V ad Gratianopolim in suburbano senio conficitur Hernetus Hebert pictor, qui Gallicam academiam de Urbe plures annos moderatus fuerat.

Sancti Iacobi autem in urbe moritur Etrada Palmas, primus Cubanae reipublicae praeses.

— d. VI fretum novum a Kerch ad Jenikalo effossum marinam viam aperit inter pontum Euxinum et Maeotidem.

— d. VIII Lutetiae Parisiorum, ubi natus erat d. V mens. Septembr. MDCCCLXXXI, brevi morbo victus, decidit Victorianus Sardou, dramatum sciptor nostris diebus facile princeps.

— d. XI Hamm ad oppidum Westfaliae, gaz grisou in fodinis incendit. Cunicularii tercenti inter flamas heu! pereunt.

— d. XIII Augustae Taurinorum, duodesseptuaginta annos natus obit Laurentius Dalleani, pictor historicus Italorum praeclarus.

— d. XIV Lutetiae Parisiorum moritur Alexius, Russorum Magnus Dux; Pekini autem Sinarum imperator Kuang-Si, atque, aliquot post horas, eius

avia Tsuh-Si, quae, sub Imperatricis viduae nomine, revera quinquaginta circiter iam annos immensae illius regionis imperium gerebat.

— d. XV Habanensis civitatis praeses renunciat Iosephus Michael Gomez, militum praefectus.

— d. XVI per orbem universum Sacerdotale Pii X P. M. Iubilaeum sollemniter celebratur.

— d. XIX atrae procellae in infima Italia atque in Sicilia insula furunt, ingentia tum hominum tum bonorum damna procurantes.

### AENIGMATA

#### I.

Excubat os nitidum patulo mihi semper hiatu,  
Sacra ministerio ferrea lingua Dei est.  
Nunquam sponte loquor, nunquam nisi iussa tacebo;  
Excutere ad vocem verbera saepe solent.

#### II.

Infelix fovea submersus protinus ima  
In per me facto funditus ore forem.  
Magna tamen capite in nostro sapientia magno,  
Quamquam percussum vitat adire locum.

#### IUL. SCALIG.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

POETARUM LATINORUM ECLOGAE.  
(EDIDIT BRANDT LIPSIAE EX OFF. TEUBNERIANA).

Aenigmata an. XI, n. VII proposita his respondent:

1) *Tinea*; 2) *Papaver*.

Ea rite soluta miserunt:

Lad. Lud. Podobinski, Cracovia. — L. Ortiz, Morelia. — Guil. Schmidt Londino. — Rich. Brondel, Brugis. — Petrus Tergestinus.

Sortitus est praemium:

GUILELMUS SCHMIDT,  
ad quem missum est PETRI ANGELINI opus, cui titulus:  
DE POETIS ET NUMERIS LATINIS.

### TARCISIUS — Actio dramatica I. B. FRANCESIA. (11)

(Versibus senariis conscripta).

#### CIVIS I.

Hic christianus est!

#### CIVIS II.

Infensus Caesari!

#### ALII CIVES.

Defert mysterium!

#### QUADRATUS.

Vesta quid interest?

Graecus sit ipse melius quam Barbarus?  
Iuvat sed in primis percussum tollere.

#### TARCISIUS.

(Grates Tibi, Deus, dabo quam maximas,  
Qui me peropportune servasti incolumem!)

#### CROMATIUS.

Heu! quem te video nunc puer candide!  
Puer, servasti adhuc sanctum mysterium?

#### TARCISIUS.

Ita, pater; Deus sic me sustinuit,  
Ut nil sentirem lapidum flagitium;  
Servavi incolumis sacra de barbaris.

QUADRATUS.

At vos, scelesti, abite! Poenitentiam  
Mihi luetis, magno nunc pro crimine.  
Abite, perfidi, ne plectam vos illico!

CROMATIUS (1).

Laboras acribus, Tarcisi, fustibus?

TARCISIUS.

Ita, pater, cruar, plaga omne corpus est.  
Sed....

QUADRATUS.

Quid?

TARCISIUS.

Magna ego gestio laetitia  
Quod ad profanos sacrum non advenerit.  
Mater, dic, Cromati, gemitne in carcere?

CROMATIUS.

Cessit de vinculis, gaudet, sed libera!

TARCISIUS.

Martyr?

CROMATIUS.

Modo pro Christo lubens occubuit!

TARCISIUS.

Quid aptius mihi possit contingere?  
Vale, Cromati, pater alter; in Deo  
Lubens nunc morior... Quadrate, gratias  
Ago, quod praesens auxilium tuleris....  
Fratres, tu pervelim, me et Dionysium  
Eos manere laetos inter sidera.... (2)

CROMATIUS.

Puer decepit!

QUADRATUS.


Vota, clementissime  
Deus, subito compleantur omnia!

CROMATIUS.

Tibi vivamus omnes!

QUADRATUS.

Detur pro te mori!...  
Iuvat sed martyris deferre exuvias  
Ubi sunt fratres fundentes preces (3).



(1) Quum accuratius eius vulnera observasset.

(2) Moritur placidissime.

(3) Cromatius et Quadratus auferunt religiose corpus Tarcisi. Quum egressi sunt redeunt cives furore acti.

## SCENA ULTIMA.

CIVES.

CIVIS I.

Mali, improbi!

CIVIS II.

Christi erant discipuli!

CIVIS III.

E nostra incolumes evaserunt manu!

CIVIS IV.

Caesar qui summo splendet Capitolio  
Malas a solo vel radices auferat!

CIVIS V.

Christi discipulis omne sit exitium!

(Apparet Tarcisi gloria).

CIVES.

Qui splendor!

ALII CIVES.

Quae lux!

ALII.

Quae voces et cantica!

CIVIS I.

Odor fluit circum dulcis, ambrosius....

CHORUS CAELESTIS.

Omnis canamus martyri  
Praeclara Christi munera,  
Parata in alto vertice  
Aeterna, formosissima.

Non aestus iam nec gladius  
Nunc corda turbat martyrum  
Gemmis coruscant fulgidis  
In Angelorum gaudio.

CIVES.

Tuis dedisti, Christe, sectatoribus  
Munus excedens omnium desiderium!  
Et nos Tui sumus! Fac ut religio  
Ab Urbe leges gentibus det domitis!

FINIS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pucis, Phil. Cuggiani.

# VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italianam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMAM - Piazza del Gesù, 48 - ROMAM



## Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

apud

Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmiescie, 15.

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

"Kronika Rodzina"

Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Montreal

1638, Rue Notre-Dame.